

Dissertatio Medica

Sistens

Casum Hæmorrhoidum Suppressarum

Quam

Conf. Exper. Fac. Med. Aboëns.

Præside

Doct. GABR. ER. HAARTMAN,

*Med. Pract. Prof. Reg. & Ord. Reg. Soc. Pro Patria
Membro,*

Pro summis in Medicina honoribus

Publico Examini offert

SVENO BJÖRKUND,

Med. Pauper. Holmensis

In Audit. Acad. Maj. die xxvi Junii MDCCXCIV.

Horis a. & p. merid. solitis.

Typis FRENCKELLIANIS,

Quod vero tam macra usque eo, facie incesserit Pathologiæ scientia, non alia, me judice, subest cauſa, quam quod, qui ejusmodi libros luci exposuerunt Medici, falsis magis opinionibus & hypotbesibus imbuti, quam sufficienti historiarum morbi apparatu instructi, eosdem conscripserunt, cum tamen sufficiens observationum clinicarum adparatus & exacta historiarum cuiusdam morbi quoad omnes circumstantias delineatio & notitia præcipuum & verum tum Pathologiæ tum Therapiæ sit fundamentum. FR. HOFFMAN Oper. T. VI.
p. 252.

CASUS HÆMORRHOIDUM SUPPRESSARUM.

Superfluum foret, quibus inductus fuerim rationibus, ad specimenis quod titulus offert eligendum argumentum, fuse expondere. Ex pluribus namque, quæ mihi fese obtulerunt, thematibus, ea imprimitur & majore attentione, & accuratiore investigatione digna mihi sunt visa, quæ non modo abstrusas œconomiaæ animalis latebras ac recessus quodammodo patefacere, sed etiam tutiorem, in debellandis pertinacioribus quibusdam corporis humani infirmitatibus, viam monitrare queunt. Canonem igitur *ILL. BACONIS VERULAMII*, non fingendum aut excogitandum, quid natura ferat aut faciat, sed inveniendum, fecutus, occasionem avide arripui, catum hæmorrhoidum suppressarum, a Celeb. Dno Prælide observatum & mihi benigne communicatum, epicrisi qualicunque pro viribus explicandi & specimenis loco publicandi; quippe qui non modo symptomatum syndrome ac decursu inasleveto, indeque orta difficulti diagnosi, mihi fese commendavit, sed etiam opportunitatem, in morbos infimi ventris paullo diligentius inquirendi, eo ardenter desideratam præbuit, quo maiores eorum pathologiam vulgo comitantur difficultates.

Facile quidem intelligo, conjectaria multa eaque utilissima ex casu hocce clinico deduci & exquisitiore verborum apparatus amplificari posse, quam tenues ingenii vires harumque pagellarum angusti permittunt limites; sed cum ipsa historia morbi satis amplam mihi videtur peritis præbere opportunitatem, conclusiones eaque faciles ac utiles ex eadem colligendi, sufficiat præpositæ morbi historiæ paucissima tantum addere scholia. Quos juveniles conatus, ut benigne excipias & in meliorem interpreteris partem, te B. L. amice & quo par est verborum honore rogo atque obtestor.

§. I.

Morbus, cuius historiam tradere animus est, initia cepit anno 1785 & in sequentem saevientes suos protendit effectus. Prior annus ab initio quidem, propter variabilem admodum aëris tempestatem, mintis erat falubris, quamobrem etiam tum pessime graffabantur Febres putridæ, catarrhalesque malignæ, & morbillosæ, quarum saevitiam æstatis calor auxit & non nisi Septembribus stabilior aëris constitutio refrenare potuit. Versus finem ejusdem anni, qui de cætero satis erat sanus, varia sanguinis profluvia, imprimis Epistaxis & Hæmoptysis, præter confutudinem apparuerunt. Posterior autem annus qui frigidissima incepit hieme, pectoris imprimis inflammationes, æque ac alias Catarrhales nempe & Asthmaticas aluit ægritudines; sed præter Tuffim convulsivam, parcior tum erat morborum epidemicorum graffatio.

Erat autem Vir Nobilis, ægritudine mox describenda affectus, annos natus 58, & ut habitus erat mollioris, temperamente quod sanguineum dicunt, vitam quoque egerat voluptuosam otiosamque, qualis sanguineis plerumque maxime arridere solet. Santis tamen & ab infirmitatibus usque ad 50. um ætatis suæ annum immunis fere vixerat; postea autem dolor in Regione Osis sacri plerumque tumescente, una cum urina mucosa & fabulosa frequentius missa, nec non calore insolito pedum, Medicis, quos ei consulere licuit, persolvit, magnam & ad Podogram & ad Calculum adesse dispositionem. Tribus ultimis præterea ante novum jam describendum morbum annis, lingua limbo quasi scirrhoso erat vestita, qui tamen præter minorem ad voces articulandas promptitudinem nullum aliud hucusque pepererat incommodum. Sub æstate anni 1785 febre laboraverat putrida, idoneis tamen remediis die 14. to per diarrhoeam & urinam criticam rite soluta. In Septembri ejusdem anni insolita affiebatur genuum infirmitate sub ascensu

im-

imprimis molesta, conjuncta cum vagis artuum inferiorum doloribus, ita ut aliorum sub ambulando egeret auxilio. Mox etiam accesit dolor in Regione Ostis sacri, una cum urentibus insimi ventris cruciatibus. Hæc autem mala, postquam Hæmorrhoides, etiam sub æstate visæ, modice fluxerant cito perierunt, ita ut breve iter noster posset facere; quo, ex ingluvie, spirituoforum abusu refrigerationeque suscepta (a), prima forsitan morbi conquisivit semina; nam domum rediens, evidenter satis apparuerunt futuræ ægritudinis signa, horripilations nempe vagæ, capitis dolor & dejectio animi. Altero quoque die dolor, in regione sacrali revenit, indies aetus, accendentibusque tumore ejusdem loci & cruciatibus circa umbilicum urentibus deorsum quasi sese protendentibus. Febris ægrotum nostrum vexabat non admodum vehemens, sed magna siti & vagis horroribus stipata. Difficultas quædam quoque aderat mingendi, absque tamen Stranguria vel Ischuria. Urina autem parcius saepiusque missa, interdum pallida, interdum rubra, interdum jumentosa erat, & cum aliquando sedimentum deponeret, rubrum id erat tenuissimi instar fabuli. Urina aut turbida aut fabulosa ægritudinem aliquantulum mitigavit. Sed præter lancinantes circa umbilicum & obtusos quasi in funiculo spermatico dolores, neque testiculi retractionem neque crurum stuporem se affligere conquerebatur. Ructus interdum quidem molesti fuerunt, at fine vomitu vel vomendi conatu. Magna autem aderat inquietudo & frequens corporis jactatio, qua dolores lenire tentavit æger, sine ulla tamen difficultate in utrumque latus vel quounque modo pro lubitu cubandi. Pertinaci inter hæc alvi vexabatur obstructione, quam & catharticis & clysmatibus fortis-

A 2

(a) Calens namque lapide non modo humido sed etiam satis frigido rediens infederat.

fortissimis (b), non modo frustra sed etiam cum maximo vitæ periculo, solvere tentabatur. Pertinax ista alvi obstructio per septimanam circiter perseveravit usque dum, vehementioribus tunc accendentibus tenesmis, cum frustraneis tamen conatibus alvum exonerandi, clysmata injicerentur, quibus magna evacuabatur pituitæ viscidæ copia & sumto deinde purgante alvus cum magno movebatur levamine; restituta tamen mox, paroxylmi instar, pristina morbi facie, donec post septimanæ spatiū, easdem, quas mox diximus, natura & ars iterum molirentur industias. Interea Agyrta, quem mox monuimus, colicam calculosam suspicatus, Therebinthinam, Oleum fraxini, Balt. sulph. tereb. aliaque ejusdem generis & frustranea & temeraria tentavit remedia,

Alii Medici postea consultati, de morbi Diagnosi valde vacillantes aliquando Calculum vesicæ, mox Arthritidem retropulsam, & Affectus Spasticos intestinorum accusarunt. Hinc etiam diuersas admodum in cura fecuti fuerunt indicationes, alternatim, nempe præscribentes Laxantia, Epispastica, Clysmata, Anodyna cum Sale Succini mixta, remedium Matroneæ STEPHEN ad plures uncias ingestum, Ptisana emollientia, Fomentationes tepidas, Semicupia & Balnea vaporosa, sœpe adeo calida, ut ipi indigenæ calidis balneis optime affueti, eadem vix ferre possent. Alvi obstructio pertinaciter perseveravit, usque dum supra memoratum pituitæ profluvium inciperet, hoc finito iterum recrudescens Versus finem Novenibris delirium accessit, posteaque magna imbecillitas, respiratio stertorosa, sudor frigidus una cum maculis nigris brachiorum. Quibus symptomatibus sensim evanescientibus, artuum superiorum, eorumque supremam partem imprimis torquens Par-

ly-

(b) Inter quæ clyisma tabacinum ab Agyrta quodam intempestive admodum datum, eo majori referto jure, quo certius constat, maxime stimulans esse remedium in spasticis affectibus haud tuto propinandum.

lysis remansit. Ab initio Decembris spontanea advenit Diarrhoea, quæ, intra aliquot dierum spatium, naturæ ope iterum fistebatur; posteaque & dolor in Regione Sacrali & cruciatus abdominis remittebant. Delirium autem, comitibus supra memoratis symptomatibus, saepius hoc niente rediit, quavis tamen paroxysmo mitiori & citius evanescente; quod vero malum sensuum tam internorum quam externorum magna secuta est debilitas, una cum tanta virium jactura, ut nequidem situm corporis sine aliorum adjumento mutare posset.

Sub finem Decembris, quando Cel. D:rus Praeses ad nostrum fuit arcessitus, ægrotum de mox memoratis symptomatibus virium nempe tam corporis quam animæ imbecillitate, brachiorum paralysi & memorie debilitate in primis conquerentem deprehendit. Interdum post horripilationes prægressas febiles acceperunt motus, cum pulsu debili frequente, siti, anxietate, lingua sordida, appetitu prostrato & delirio celeriter plerumque evanescente. Quando melius se habuit, lingua quoque erat rubicundior, appetitus melior, somnus tranquillior, magisque recreans, semper autem frequenter urinæ missione turbata. Urina autem sine ardore mittebatur variæ æque ac antea indolis, ita ut interdum pallida, quæ febrem austam & delirium portendebant, interdum turbida & mucosa esset qua melius se habuit ægrotus, interdumque sedimentum deponeret, ex fabulo rubro, muco circumvestito consutens. Testiculi tactum quidem indolecebant, at minime retrahabantur. Neque ullus aderat stupor crurum doloribus tantum vagis afflictorum. Dolor & tumor in regione osis facri una cum cruciatibus abdominis, postquam alvus soluta erat, hucusque absuerunt.

Cel. Praeses, qui ex memorata morbi historia infarctum infimi ventris tanquam veram horum malorum causam su-

spicatus erat, remedia præscripsit, solventia (c), & roborantia (d), illa ut oppilationes vasorum & organorum secreto-
riorum referarentur, hæc vero ut vires valde admodum labefactatae restituerentur, ne novæ fierent vasorum impletiones.
Hirudines quoque in podice applicandas præcripsit ad revo-
candum modicum fluxum Hæmorrhoidalem, ne postquam ex
cibo uberiori humores augerentur, novos ita plethora in va-
sis abdominalibus admodum relaxatis crearet infarctus. Insi-
mul frictiones stimulantes, ad sensum in brachiis restituendum,
adhibitæ fuerunt frequentes. Circa diætam maximam com-
mendavit circumspetionem, summagque animæ tranquillita-
tem, ne sensile nimis nervosum systema vel imbecilles admo-
dum vitales vires nimis aut incitarentur aut deprimerentur.

Hæc medendi ratio adeo felicem habuit successum, ut ab
initio mensis Aprilis 1726 epistolam ad Cel. Pfæsidem ipse conscri-
bere ægrotus posset. Singulare in primis sensit omnium molestia-
rum levamen ex applicatis qvavis altera septimana hirudini-
bus. Redeunte autem in Martio fluxu hæmorrhoidalii æque
proficuo, hirudinum omisit usum. Mirum autem erat quan-
tum sanguinis dispendium, exhaustus quamvis, hicce æger non
modo sine incommodo sed magno etiam cum levamine ferre potuit;
nam œdema pedum vespere in primis se se manifestans, per
se iterum calidore anni tempore disparuit. Accesserant
quidem in Februario dolores genuum & pedum, facile tamen
evanescentes, quamprimum extra lectum aliquando esse posset
ægrotus.

§. II.

En epicrisi casus hujus clinici, qualis mihi videtur pro-
na esse formatu. Congestiones in vasis hæmorrhoidalibus, a-
pud

(c) Extractum Taraxaci c. pulveris Rhabarbari & Martis tartarisati
pauxillo, forma Electuarii copiose propinatum.

(d) Aqua Pyrmontana, Tinctura Kink. Wh. c. Elix. Rhei.

pud ægrum nostrum, primarium fuisse morbum, earumdemque versus superiores vasorum infimi ventris propagines repulsionem, proximam effecisse malorum mox descriptorum caussam, variæ nos fvalent rationes. Temperamentum nempe, corporis habitus, vivendi ratio atque ætas concurrerunt ad promovendam vasorum hæmorrhoidalium nimiam repletionem, unde etiam dolor ac tumor regionis sacralis, confvetus hæmorrhoidum prodromus, merito derivatur. Hæc quoque deinde confirmavit fluxus vere hæmorrhoidalis, sub æltate & versus autumnum visus. Ejusdem quoque prosapia fuisse prima, quæ noster in Septembri anni 1785 passus fuerat mala, ex doloribus in regione oslis sacri & colicis merito judicamus. Nam genuum debilitatem & crurum lancingiones, quamvis minus confveta hujus mali symptomata, ex eodem tamen fonte esse derivanda, fvaldet similis fere observatio III, HOFFMANNI (a). Magis quidem obscurum esse videtur, qua ratione celeriter adeo eadem disparuere; sed mitiori ipsius morbi indoli, æque ac ægroti tranquillitati ac temperatori vivendi rationi felicem hunc eventum esse adscribendum, haud ineptum esse putaverim judicium. Etenim novus post factum iter morbi accessus profundiores certe eam ob caussam egit radices, quia graviores sub hocce itinere diæte commiserat noster errores, eosque tanto pericolosiores, quanto infirmior adhuc post prægressum morbum corporis esset habitus.

Præter hæc quoque calida ista remedia, quæ irritabiles alias quoque nervos nimis vellicantia, motus excitabant spasticos, vasa præter modum turgida constringentes, congestionesque eo modo adauxerant, ad caussam mörbificam quasi profundius ligandam cruciatusque multiplicandos, haud parum contulisse, facile cuique apparet.

Ad

(a) Consult. Cas. XII Oper. T. IV. p. 178.

Ad singularia, quæ sub diri hujus morbi progressu sese prodiderunt symptomata, merito numeratur Paralyticis ista artuum superiorum, similis tere ei, quæ Colicam Pictorum subfeci qui solet. Adnotavit quidem Cel. CULLEN (b), hæmorrhoidalem fluxum apud fenes substantem, aut Apoplexiā aut Paralylin procreare; hæc autem ratio ad nostrum casum explicandum minime valet; nam neque ætas neque phenomenū morbum prægressa id fvalent. Majore autem forsitan jure, ex singulari, per impeditum istum fluxum, oborto viscerum infarctu, paralyisin saepius memoriam derivandam esse putaverim, eo in primis nixus argumento, quod Cel. KÄMPFIUS, Vir de morbis abdominis instructissimus atque experientissimus, in notissimo suo opere (c) monuerit, in Colica Pictorum ad congectiones acres, pituitosas & biliosas probe esse attendendum. Facile quidem video balnea calida ab ægroto nostro intemperative admodum adhibita, istam quoque commereri posse culpam, utpote quæ vim tonicam sequere ac nerveam valde infringant, præcipue cum nervos aliis quoque ex causis atonia affectos, vim motricem aequem ac sensitivam perdidisse constat (d); ratio autem cur brachia potius quam aliae corporis partes motu suo privarentur, ex peculiari nervorum abdominis ac brachiorum consensu (e) haud inique erit derivanda. Cæteras autem capitis affectiones, delirium puta ac memorie debilitatem sensuumque internorum stuporem, a sola ista vasorum abdominis oppilatione, tuto esse deducendas, nemo inficias ibit, qui

(b) Anfangsgründe der Practischen Arzneikunst Leipzig 1789 2. B.
P. 451.

(c) Abhandl. von einer neuen methode die harthäufigsten frankh. der unterleibe zu heilen. Leipzig 1784. p. 412.

(d) LORRY von der Melancholie T. I p. 251.

(e) Probabilem hunc consensum reddit communis nervorum brachiorum ac intercostalium ex cervicalibus propago.

qui JUNCKERI (f), KÄMPFII (g), Illustr. VAN SVIETEN (h) aliorumque neverit observationes. Febriles, quorum mentionem feci, motus, quique, sicut historiæ docent Medicorum, frequentes sunt hæmorrhoidalium affectuum comites (i), mere symptomaticas, ex fola nervorum vehementiori obortas irritatione, fuisse afflictiones, non modo ex inconstantia symptomatum atque typo erratico, sed etiam ex reliquo morbi progressu ac exitu haud ægre colligitur. Cui quidem opinioni magnum præterea auctoritas Cel. DE HAEN addit robur, ut pote qui (k) hæmorrhoidalem, a quibusdam Medicis tanquam primarium morbum recensitam, febrem mere esse fidam, evidenteribus nixus docuerit argumentis. Alvi segnitient confutatum esse tam infarctuum in genere, quam etiam suppressarum hæmorrhoidum comitem, frequentes satis evincunt Medicorum observationes. Magis autem obscurum esse videtur, unde spontanea ista in Decembri acceperit Diarrœa, quave ratione dolores circa os sacrum & umbilicum removere potuerit, quamdiu reliquæ infirmitates ex eodem prodeuentes fonte vigerent, nisi accusari posset summa vis tonicæ per balnea ista calida methodumque valde relaxantem jactura, que, quamvis alcum teneret liquidam, qua crastiores educuntur fortes, congestum tamen in vasis minoribus sanguinem tenacius quasi includeret. Præterea quoque frequens id observatur phænomenon, quod variae evacuationes ferociæ sanguineis evacuationibus succedentes, calamitates inde proveni-

B

en-

(f) Conspect. Medicinæ Theoret. Pract. p. 92.

(g) L. c. p. 392. De infarctu vasorum ventriculi in Cel. BALDINGERI Syll. Sel. Opusc. Tom. III. p. 254.

(h) Comment. in H. Bærh. Aphor. II. p. 608. T. III. p. 316.

(i) SIDREN Dissert. Casum Hæmorrhoid. in Act. Med. Svec. T. I. p. 384. sq.

(k) Rat. Med. P. VII, p. 322 sq.

entes quodammodo mitigent, quod quidem de mensibus in primis suppressis satis constat. Quam observationem præter alias mihi præbuit Cel. SIDREN, loco citato (1) describens Casum Hæmorrhoidalem, qui accidente Diarrœa tantisper quoque esset levatus. Præter jam recensitam malorum rationem, Hæmorrhoides quoque Vesicæ adfuisse, variae svadent rationes, ipsius scilicet urinæ a morbi initio qualitas mucosa, atque frequens ad eam mittendam stimulus, qui aut spasticas systematis nervosi affectiones, aut singularem in organis uro-poieticis obortum stimulus, secundum experientiarum virorum testimonia denotare, solet.

§. III.

Quamvis ex allatis, morbi descripti quodammodo jam eluceat indoles, accuratius tamen examinare liceat characterem hujus infarctus secundum observationes atque signa a Cel. KÄMPFIO in prius recensito libro (a) commemorata. Observare igitur licet, sanguinem, ex lautioribus epulis condimentisque plenioribus, copioius in vasis abdominis, propter laxiorem eorum compagem, apud otiosos præsertim homines congestum, facilius accumulari (b), moraque congestiones atque oppilationes progignere, loco ac indole pro diverso ægrorum habitu ac conditione valde diversas. Hinc infarctus Ventriculi, Hepatis, Lienis, Mesenterii, Mesocoli, Hæmorrhoidalium vasorum &c. ex loco dicuntur, pituitosi, atrabilarii, cruenti, & sic porro, a diversa eorum indole. In nostro quidem ægro primaria in sanguinis congestionem vasa hæmorrhoidalia occupasse, historia morbi satis docuit; sed postquam per enarratos.

(1) p. 384.

(a) p. 22. seq.

(b) Consentientem hac de quæstione video Cel. QUARIN, qui in Animadv. pract. in div. morb. p. 259. huic causæ frequentiores Vindobonensem adscribit hæmorrhoides.

ratos dictæ errores ab hisce locis quasi retropulsa esset, quod nam abdominis viscus occupaverit. minus clare patet. Quod tamen neque ventriculus, neque hepar, neque lien, hoc affecta fuerint vitio, ex absentia signorum, quæ horum viscerum infarctum denotare monuit Cel. Kämpf (c), haud difficulter colligi potest.

Ægrius vero intelligeretur, utrum Mesenterium, vel Mesocolon, vel Renes, vel etiam Velica, retropulsam receperit sanguinis massam, nisi cruciatus circa umbilicum post diarrhoeam mitigati, tenetum ac difficultas mingendi, dolorque funiculi spermatici aliquam diffunderent in obscura questione lucem. Etenim tentum ponderis tensionisque fixæ mox sub umbilico cum affectionibus hæmorrhoidariis, infarctum vasorum mesenterii manifestare ipse quoque memoravit Cel. Kämpf (d). Totam quoque urinæ officinam simili affectam fuisse infarctu, graves mihi persuadent rationes. Urinæ namque qualitatem, in hoc casu admodum variabilem, a mutato quodammodo horum organorum statu unice provenire, Physiologia satis evincit. Idemque probat mitigatione ægritudinis, turbidam mucosamque vel sedimentum deponentem urinam secuta, nec non dolor funiculi spermatici, qui propter arctum nervorum connubium cum vesica ac renibus affatim consentit. Qui criticam aliquam materiae febrilis per has vias secretionem suspicetur, si ad defectum perturbationis criticæ, continuæque morbi solutionis attenderit, suspicionem facile delebit. Atque præterea infilitum est phænomenon, febres symptomaticas criticis finiri evacuationibus. Altera quæ occurrit infarctuum discrepantia minime plane antiquis Medicis, atque obscure admodum Stahlio inter recentiores erat cognita, donec subtiles utilissimas-

(c) Enchirid. Medic. p. 101.

(d) I. mox c.

que hac de re Cel. KÄMPF (e) sedula attentione comparatas communicaverit observationes, quibus excellentissimus Vir MARCARD (f) ulteriores maxime fructuosas apposuit disquisitiones. Hisce jam innixus fundamentis, infarctus s̄epius citatos non dubitaverim complicatae pronunciare indolis, cruentæ (g) nimirum & mucosæ. Prior nempe satis comprobatur præcedenti fluxu hæmorrhoidalí, moliminibusque sub initio morbi hæmorrhoidalibus, nec non fructuosa etiam postmodum facta Hirudinum applicatione, salutarique ex restituto demum eodem fluxu, effectu; Nam plethoræ sanguineæ abdominalis nulla minus dubia haberi possunt signa. Mucosam vero viscerum infimi ventris colluviem in hocce ægro designarunt laxior corporis habitus, mucosæ alvi dejectiones, nec non per urinam quoque uberioris profluvium.

Quas ante aliquot tempus quidam proposuerunt hæmorrhoidum suppressarum distinctiones, quasi aut Venæ Portarum aut Venæ Cavæ propagines infarciret accumulatus propter memoratam caussam sanguis, inutiles prorsus esse, tanto maiore judico jure, quanto evidenter ex allatis quoque perceperim, neque certa hujus discriminis erui posse signa, neque alicui in medendo istam distinctionem esse fructui. Cui quoque opinio assentient Viri de Medicina meritissimi QUARIN (h) & CULLEN (i), qui in cura parum penii habent unde profluat sanguis hæ-

morr.

(e) In libro a nobis pag. 8 supra allat. & not. (c) citat.

(f) Beschreib. von Pyment. 2:ter B. p. 25 & sq.

(g) Etsi Cel. MARCARD in loco citato congestiones abdominalis sanguineas tanquam ab infarctu distinctas consideravit, non dubitavi tamen cum Cel. KÄMPFIO eas tanquam hujus speciem eam ob caussam proponere, vel quia sepe adeo unam tandemque agnoscent caussam, & quoad effectum admodum sint similes, vel quia systematicus morborum Ordo id requirere mihi videatur.

(h) I. c. p. 257.

(i) I. c. p. 454.

morrhoidalis. Præterea ex Physiologia æque patet, ac experientia est compertum (k), firmiores Venæ Portarum tunicas distensiones ejusdem non facile adeo admittere ac Venæ Cavæ propagines.

§. IV.

Requirit jam rerum ordo ut curam casus recensiti paucis attingam, meamque de methodo hujusmodi affectibus mendendi interponam sententiam. Qui ad symptomatum in casu memorato obviorum indolem ac progressum paulo scrupulosius attenderit, facile observabit, remedia & ab initio & sub priori morbi progresu adhibita non modo intempestive sed etiam adeo noxia fuisse, ut mirum sit morbum tam perverse tractatum refrenari potuisse. Quid enim calidis istis remediis interne summis in morbo cum summa nervorum sensibilitate coniuncto, pejus? quæve acribus istis ex tabaco confectis clysteribus aut vehementior aut periculosior in alvi a nimis irritatis intestinis proveniente constrictione adhiberi potuisset medela? Sed nequidem postea magis rationalis adhibita fuit medicina. Si enim ptisana emollientia excipias, incongrue valde reliqua adhibita tuerunt remedia. Opium namque sanguinem rarefaciens tonumque vasorum imminuens, profundius quasi congestionum sanguinarum affixit radices, quod vitium, ut stimulans satis succini facultas deleret, minime erat expetandum. Purgantia intimi ventris tanto minus potuerunt solvere obstructiones, cum tubum intestinalem atque vasa ejusdem peculiariter sua vi irritante vellicent, remanente semper majore atonia ac debilitate (a), humoresque illuc alliciendo, vasa antea jam præter modum repleta ultius distendant. Sapones quidem ad obstructions referandas

B 3

in-

(k) MARCARD I. c. p. 61.

(a) Cfr. MARCARD I. c. p. 337.

interdum cum fructu adhibentur, sed cum diutius ingesti vires concoctrices vehementer labefactent, certe in hoc casu magnum eos attulisse damnum necesse est. Balnea certe calida æque ac clysmata caute & pro re nata repetita haud sine emolumento contra spasticas nervorum affectiones adhiberi potuissent, sed Clysmata bis vel ter de die & cum fale communi præter modum condita, maximam induxerunt tubo intestinali debilitatem; & Balnea quoque admodum calida totius corporis non potuerunt non evertere vim tonicam. Tantum igitur labefactatis omnibus vitalibus viribus, caute omniisque adhibita circumspunctione curram fuisse tentandam, facile quisque videt. Erant autem primariæ indicationes binæ: una, ut infarctus viscerum solvereatur, altera, ut tonus tam viscerum quam vasorum restituatur. Paralyzin brachiorum utpote symptomaticam ab infarctu ortam afflictionem per se evanescere quamprimum hic submoveri posset, haud dubia erat spes. Cum autem epispastica atque stimulantia externe applicata ad sensum nervorum torpidum quasi resuscitandum, multum contribuere soleant, ejus generis remedia in hocce casu haud inepte fuisse adhibita quisque facile dabit. Prima quam memoravi requirebat indicatio, ut impactus in superiores vasorum abdominalium propagines sanguis, ad vasa hæmorrhoidalia regredieretur, quæ distensionem minus ægre propter consuetudinem pati possent. Hanc ob causam Hirudines applicatae fuerunt. Non is sum qui cum Stahlianis fluxum hæmorrhoidum tanquam salutarem necessariamque corporis humani evacuationem tam in morbois quibuscumque affectibus, quam apud sanos respicerem homines; sed quando consuetus fuerit & perversa diætæ ratione impeditus, frustra alia tentari putaverim remedia, nisi simul restituatur sanguinis per has vias profluvium, vel etiam Hirudinibus aut svis fanguinis evacuationibus compensetur. Rationes autem quæ Cel. Præsidem, quamvis de argumentis contrariis probe instructum, ad promovendum hæmorrhoidalem fluxum com-

cōmōverunt, cæ p̄æprimis fuerunt, quod dira morbi recen-
ſi symptomata, licet magna quoque tam per alvum liqui-
diorem factam, quam per urinam eliminaretur pituitæ copia,
nec solventibus nec roborantibus mitigari potuerint, quodque
ut Historiæ docent Medicorum (b) dirissima atque pertinacis-
fima omnino mala ex nobilioribus partibus affectis orta, hoc
fluxu p̄oedente p̄æter spem fæpe fuerint sublata (c). Quæ
hisce fundamentis de promovendis hæmorrhoidibus niteba-
tur indicatio curatoria, per felicem morbi successum atque e-
videns quod se sensisse ipse æger fassus erat levamen, extra
omnem quoque posita est dubitationis aleam. Deinde eadem
exigebat indicatio, ut solventibus remediis expediretur pi-
tuita ac mucus tam visceribus, quam vasis quasi adglutinatus,
quo pristinam agilitatem ac vim recuperarent organa ista
propter molesta hæcce vitia valde torpida. Varia quidem
hoc scopo commendari solent medicamenta; ea autem in hu-
jusmodi caſib⁹ aliis palmam p̄æripere conſtat, quæ virtu-
ti ſaponaceæ conjunctam habent vim leniter corroborantem,
nam ceteræ omnes, quamvis revera diſſolvant glutinofas im-
puritates easque ex maſſa humorum ejificant, vim tamen tonicam
magis magisque infringunt, donec tota machina, ſuffoſo ejusdem
fundamento fere primario, plane corruat. Huic fini p̄æ cete-
ris aliis medicaminib⁹ Taraxaci ſatisfacere Extractum, omnes
post III. ZIMMERMANNI encomia, uno quaſi ore affirman recentiores Medici. Huic alia quoque addi poſſunt ſimilis
virtutis remedia; ex auctoritate FR. HOFFMANNI, qui eum
magni fecit, tartarum martiale Cel. Praeses adjecit, quo vero
noſtro ævo jam fere exoleto facile carere poſſimus, cujuſ-
que

(b) Cfr. MARCARD in elegantissimo opere 2 B. p. 82 & 85.

(c) Attamen purgantia aloëtica, que tanquam ſacram in hisce af-
ſtib⁹ anchoram respexerunt Stahliani, ad hunc scopum commen-
dare me prohibent argumenta a ſepiuſ laudato MARCARD l. c. p.
79, 80 allata, & ratione & experientia optime confirmata.

que loco Rheum, alia ut taceam, melius adjuvagitur. Quibus vero vis
remediorum solvens, si id exigit morbi indoles, quasi acui posit,
ex Therapia facile est cognitu; sufficiat tantum adnotari, ea quæ
simil refrigerant, infarctui cruento tollendo magis conducere quam
pituitoso (f). Inter præcipua hujus generis remedia hodie ma-
rito numerantur, quos Cel, KÄMPF tantopere commendavit Cly-
steres viscerales, utpote qui infarctus insimi ventris melius attin-
gunt & quasi abluunt, quam ulla alia. Felices in hacce quoque
regione ista clysmata edidisse effectus, scio, quamvis dum hic
contingeret casus nondum essent cognita.

Alterius indicationis gratia, ut nempe tonus restitueretur,
aqua Pyrmontana sub æstate anni 1786 erat præscripta, quæ pro-
pter copiosam acidi aërei quantitatem martis pauxillo nuptam, ut
primaria forsan, ad tonicam vasorum præcipue vim reddendam,
merito consideratur medicina (g). Non quidem ignoro, vim
quoque solventem eamque efficacissimam eidem ab experientis-
simis tribui viris (h), præsertim quando ad ipsum potatur fon-
tem; sed cum ad nos allata plus quam dimidiam aëris fixi per-
diderit partem, probabile eit mox dictam facultatem quoad ma-
gnam partem periisse. Cumque etiam pluries percepimus Hæ-
morrhoides in nostris regionibus a solo aquæ pyrmontane usu
rarissime provocari, vix dubitaverim quin præcipua ejus vir-
tus sit roborans, non ita tamen, quasi omnis qualitas solvens
effet deleta, sed quod illa huic aliquantum prævaleat. Reliqua
roborantia, quæ fibram animalem simul adstringunt, maxima
cum circumspectione & in connubio solventium sunt adhibenda;
ne constricta nimis vasa infarctus magis quasi compingant im-
mobilioresque reddant. Si igitur appetitus, quod sœpe accidit,
deficiat, caute quidem Elixiria stomachica præcipi queunt, ea
tamen ratione, ut nec magna quantitate, nec præter necessitatem
exhibeantur.

(f) Cfr. MARCARD I. c. p. 86.

(g) Cfr. MARCARD p. 291.

(h) Cfr. MARCARD I. c. p. 87.